

Si quis a. ff. de conditione indebiti, l. Pecunia indebita 1. l. Cum & soluta 3. Cod. eod. cum similibus: Et ratio clara est, quia Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorum, textu expresso in leg. Nam hoc 14. ff. de conditione indebiti, ibi: "Nam hoc natura æquum est, neminem cum alterius detrimento, & injuria fieri locupletiorum, leg. Jure naturæ 206. ff. de Regulis Juris, ibi: Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento, & injuria fieri locupletiorum; cap. Locupletari. 47. de Reg. Juris in 6. ibi: Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura." (Vid. leg. 28. 29. 30. 36. & 37. tit. 14. p. 5. cum lit. D pag. 106. n. 85. in nov. ac lit. A pag. 110. num. 83.)

49 Qui per errorem solvit indebitum Jure naturæ, debitum vero Jure civili, solum pariter condicere, seu repetere potest, sive per errorem facti, sive Juris solverit; Glossa in cap. 1. de solutionibus, verb. Inde bitum, Abbas ibid. num. 14. Pirhing. l. 3. Decretal. tit. 23. num. 3. Reiffenstuel ibid. n. 79. & alii, argum. leg. Si non sortem 26. §. 3. ff. de conditione indebiti. Et ratio est, quia, quando agitur de damno vitando, & non de lucro captando, ut in hoc casu, non solum non nocet error, seu ignorantia facti, sed neq. error, aut ignorantia Juris, textu expresso in l. Error 8. ff. de Juris, & facti ignorantia, ibi: Ceterum omnia Juris error in damnis amittenda rei sue non nocet. (Vid. verb. Ignorantia, leg. 5. ad rem 6. ac 31. tit. 14. p. 15.)

50 Qui indebitum Jure civili, & debitum Jure naturali solvit per errorem, seu ignorantiam facti, modo ignorantia non sit crassa, vel supina, potest solum repetere, seu condicere. Gloss. 2. in cit. cap. Is qui 4. de solutionibus verb. Inde bitum; Abbas ibid. num. 12. Pirhing. loc. cit. num. 33. Reiffenstuel loc. cit. num. 71. & alii, arg. leg. Nec supina 6. & leg. Error 8. ff. de Juris, & facti ignorantia. Si autem id solvat per errorem, seu ignorantiam Juris, repetere, seu condicere non potest, quia talis ignorantia non excusat; Glossa loc. cit. Abbas loc. cit. num. 12. Pirhing. loc. cit. num. 33. & alii, per text. in leg. Ignorantia 1. l. in omni parte 2. leg. Plurimum 3. leg. Juris Ignorantiam 4. leg. Error 8. leg. Regula 9. ff. de Juris, & facti ignorantia, & l. Cum quis 10. cod. ubi expresse, ac repetitis vicibus habetur, quod Juris ignorantia non prosit. Immo in cit. leg. Regula 9. ff. de Jur. & facti ignorantia pro Regula traditur expresse, ut sequitur: Regula est Juris quidem ignorantiam cuique nocere, facti vero ignorantiam non nocere, & in cit. l. Cum quis 10. Cod. eod. sic præcise statuitur: "Cum quis Jus ignorans indebitum pecuniam solverit, cessat repetitio." Per ignorantiam enim facti tantum repetitionem indebiti soluti competere sibi notum est." (leg. 31. 33. ac 42. tit. 14. p. 5. & leg. 20. ac 21. tit. 1. p. 1. vide verb. Lex atque leg. 4. tit. 2. p. 7. in glos. 2.)

52 Qui sciens se non debere, & nihilominus solvit, non potest solum condicere, seu repetere. Communis textu exp. in l. Nunc videndum 1. §. 1. ff. de conditione indebiti, ibi: Si sciens se non debere, solvit, cessat repetitio, cum similibus: Et ratio est, quia talis præsumitur donare, nam ut expresse dicitur in l. Cujus 53. ff. de Reg. Jur. Cujus per errorem dati repetitio est, ejus consulto dati donatio est. Et procedit conclusio, etiamsi talis dederit hac mente, quod velit iterum repetere, textu exp. in l. Quod quis 59. ff. de conditione indebiti, ibi: Quod quis sciens indebitum dedit hac mente, ac postea repetere, repetere non potest. (Vid. leg. 29. 30.)

54 49. 51. 52. 53. tit. 14. p. 5.) Secus autem esset, si animo dubio, incerto, aut titubante solvisset, textu exp. in l. Pro dubietate 17. Cod. de conditione indebiti, ibi: "Quod nos decidentes sancimus, omnibus, qui incerto animo indebitum dederint pecuniam, vel aliam quamdam speciem persolverint, repetitionem non deum negari." Et ratio est, quia, ut expresse statuitur in l. Non debet 41. §. 1. ff. de Reg. Juris in re obscura melius est favore repetitioni, quam advenitio lucro. (Leg. 30. tit. 14. p. 5. vid. lit. C pag. 32. n. 16. & lit. E pag. 234. num. 18.)

Asserens se indebitum solvisse, & conditionem intentans, probare debet, quod fuerit debitum. Communis textu exp. in cap. Is qui 4. de solutionibus, ibi: "Is, qui conqueritur indebitum pecuniam se solvisse, probare tenetur, quod indebitum sit soluta; leg. Cum de indebito 25. ff. de probationibus." Præsumtio enim stat contra ipsum, quia, ut expresse dicitur in cit. l. Cum indebitum: Qui enim solvit, nunquam ita resipiscit, ut facile suas pecunias faceret, & indebitas effundat.

56 Secus autem esset, si adversarius negaret se a condicente solutionem accepisse; tunc enim si de solutione accepta convinceretur, ipse probare debet, id, quod solum accepit, sibi revera debitum fuisse. Communis textu exp. in cit. cap. Is 4. de solutionibus, ibi: "Nisi adversarius solutionem inficiens ex parte convinceretur, tunc enim dissentiri onus incumbit probandi, quod debitum recepisset; & cit. l. Cum de indebito 25. de probation. (Vid. leg. 6. tit. 14. p. 3. & 29. tit. 14. p. 5.)

57 Ad facilius capiendam hæc dicta, observandum est, quod conditio indebiti est actio personalis, quam quis habet contra eum, cui indebitum, hoc est, aliquid, quod ei non debebat, per errorem solvit. Sic in re communis, arg. l. Nunc videndum 1. l. Quod indebitum 7. l. Inde bitum solutio 15. ff. de conditione indebiti, l. Pecunia indebita 1. l. Cum & soluta 3. l. Si per ignorantiam 6. l. Fideicommissum 7. Cod. eod. cum similibus.

58 Inde bitum autem est quasi contractus re iustus, quo quis, qui rem indebitam per errorem solum accepit, ad eandem reddendam obligatur. Sic expresse Pirhing. l. e. n. 30. & alii per textum in l. Si quis 5. §. 3. ff. de obligat. & action. & §. Item 15. Inst. de obligat. que quasi ex contractu nascuntur (Repete præcedentes decisiones).

59 De præsumpta solutione, de qua frequenter in foro disseritur, paucis hic agendum.

60 Solutionem præsumptionibus probari posse non ambigitur. At quænam præsumptiones efficaces sint videndum. De existentia chirographi penes debitorem dubitatur, an ea præsumptionem inducat solutionis. In primis autem constare debet, an chirographum a debitore in medium produçum, sit illud ipsum, quod antea in manibus creditoris fuit; idque, quia accidere potest, ut debitor sciens creditorem amississe chirographum, aliud confecerit. Constat de identitate chirographi, alia deinde inspectio occurrit, cum voluntate creditoris debitor chirographum consequutus sit, an eo inscio & invito? Hic autem ita distinguunt Doctores. Si debitor suspensus sit, vel creditoris domesticus, aut aliis familiariter cum eo conversetur, creditorem admittit, ut juramento asserat chirographum se inscio ad debitorem pervenisse. E contrario autem si debitor vir sit probate vite, & integritatis, ut suspicio subreptionis locum sibi vindicare nequeat, ejus juramento creditur, si testetur, creditorem sibi chirographum reddidisse; Anton. Fab. in Cod. l. 8. §. 3. de fin. 24. Carpov. Jurisprud. forens. part. 2. consti. 29. de fin. 12. Adde Freyer. de solut. cap. 11. membr. 1. num. 20. & seq.

64 Quid Juris de chirographo, cancellato? Si chirographum cancellatum reperitur apud debitorem, nec domesticum creditoris, nec alia de causa suspectum, ipse debitor, vel ad juramentum admittitur creditorem cancellasse, vel creditor onus probandi contrarium in se suscipere tenetur; Carpov. & Freyer locis mox alleg. Quod si chirographum apud creditorem cancellatum reperitur, solutio præsumitur, nisi ipse creditor manifestis probationibus contrarium ostendat; Brunemann. ad L. 24. ser. per tot. de Solut. Dubitatio major est, si chirographum cancellatum penes Tertium reperitur. Sunt qui existimant, debitorem eo ipso non esse liberatum, quum chirographum illi Tertio, saltem custodizæ causa traditum fuerit, & sic præsumptio cancellationis a creditore factæ cesset. Vide Freyer ubi supra num. 23. & ab eo allegatos. Quod tamen ita intelligendum reor, nisi aliæ probationes concurrant. Denique si Notarius chirographum confecerit, illudque in proto-

collo Notarii cancellatum reperitur, solutionis præsumptio evindec non alter oritur, quam si cancellationem consensu creditoris factam esse probetur; Confer Menoch. de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 141. num. 19.

69 Succedit privata debitoris adnotatio. Pro regula autem tenendum est, quod etsi debitor in libro quodam, in quo consignare solet res quotidie gestas, aut rationes rerum suarum, scripserit, se alteri solvisse, hoc ipsi neutiquam proficiat, quum aliàs hac ratione quilibet debitor se à vinculo obligationis facile liberare possit. Iterum tamen regula hæc exceptionem patitur, ut ex adnotatione debitoris præsumptio factæ solutionis resultet, si simul aliæ circumstantiæ eidem adminiculentur. De his autem circumstantiis, vide Mevium p. 4. decis. 121. per tot.

72 Sunt & aliæ præsumptiones factæ solutionis. Huc pertinent quando creditor distulit multos per annos petere creditum, v. g. si non petit vix debitore, sed de functione eo hæredes convenit, & tamen creditor est persona cauta, & diligens aliàs in exigendo, aut est pauper, aut non admodum dives. Idem dicendum, si creditor a debitore mutuum petiit, tum si solveret administravit bona debitoris, atque ita sibi solvere potuit, rationes tamen non reddidit; tum si quis per tres apothecas probet, se tribus annis proximis usuras solvisse; tunc enim nisi creditor recipiens usuras ultimas prætestando sibi consuluerit, easdem usuras ratione præteriti temporis etiam solvisse censetur; Pachin. lib. 13. Controv. 89. Pincketh. observ. 115. Mev. part. 4. decis. 345. & 355. utrobique ser. per tot. Sed consule præ ceteris Freyer. de Solut. cap. 13. membr. 6. per tot. qui de his omnibus fusiuss agit. (Temper petendi debitum vid. lit. A pag. 70. & D. Gom. in leg. 63. Tauri)

SOMNIUM.

SUMMARIUM.

- Somnium quid sit.
- Assignatur secundum varios genera somniorum, ad num. 4.
- Secundum tamen posteriores Theologos somnia dividuntur in divina, demoniaca, & naturalia.
- Divina somnia que sint.
- Assignatur variis finibus divinorum somniorum ex Sacra Scriptura.
- Et adducuntur multa alia divina somnia ex historiis Sanctorum.
- Demoniaca somnia que sint.
- Assignatur inventum demoniacorum somniorum.
- Naturalia somnia que sint.
- Somnia naturalia proficiuntur, vel à causa intrinseca somniantis, vel à causa illi extrinseca. Intrinseca nascuntur quedam potissimum ab anima, & dicitur causa animalis; & quedam potissimum à corpore, & vocatur causa corporalis.
- Intrinseca causa animalis que sit, & assignantur varia somnia ex ipsa procedentia.
- Bonarum hominum somnia meliora sunt, quam aliorum.
- Intrinseca causa corporalis que sit.
- Extrinseca naturalis causa somniorum que sit.
- Species imaginabiles in somniis causate producunt in somniantibus varios effectus, qui assignantur, & præsertim patent in noctambulantis, seu melius somnambulantibus.
- Traditur modus, seu regula pro discernendis somniis, an sint divina, an demoniaca, an naturalia.
- Quando constat non esse somnia naturalia, & dubitatur an sint divina, vel demoniaca, tutius est ea cavere, & contemni ut demoniaca.
- Divinorum somniorum observatio est licita, at interpretatio convenit solum illis, quibus à Deo facta est interpretatio revelatio.
- Demoniacorum somniorum observatio, ut fraudes demonis caveantur, est licita, sed ad occultorum,

vel eventuum futurorum scientiam, seu cognitionem habendam, est illicita.

22 Observatio, & interpretatio somniorum naturalium habentium in suis effectibus connexionem, seu adæquationem cum suis causis, est licita, sive causa sit intrinseca animalis, sive intrinseca corporalis.

23 Quid, si causa naturalis somniorum sit extrinseca. Peccat graviter, qui ex somniis tam procedentibus ex causis intrinsecis, quam extrinsecis, divinatur futura contingentia, aut quocumque dependent ab humana voluntatis arbitrio.

25 Unde est graviter peccaminosa omnis illa divinatio per somnia, qua ex ipsis prædicatur, seu creditur aliquid eventurum quod nullam prorsus habet connexionem cum illis.

26 Et multo gravius peccant, qui nullo somniis sibi fortuito obvenientibus firmiter credunt, sed & ipsa cum abusu rerum sacrarum ex animo procurant.

27 Non est tamen culpandus peccati saltem mortalis, qui sine ulla superstitione, & sortilegio, sed ex mera curiositate perquirat thesaurum absconditum sibi in somniis manifestatum.

28 Item non est condemnandus peccati mortalis, qui dubitans an thesaurus fuerit sibi manifestatus per dysfunctionem apparentem, an per somnium, ipsum perquirat, nulla adhibita fide somniis.

29 Nec sic est culpandus, qui nulla adhibita fide, & habita superstitione, terram fudit ad invenendum thesaurum sibi sibi à demone indicatum.

30 Similiter non peccat mortaliter observans somnia, non omnino eis credens, sed tantum propter talia somnia aliquod de se non malum operatur, ut evitet quadam mala sibi in ipsis minata.

31 Cavendum tamen semper est, ne firma præstetur similibus somniis fides, immo generaliter loquendo nulla est ipsis fides, & observatio præstanda.

SOMNIUM est phantasia in somno factum, id est, apparitio phantastica in somno facta, ex Aristotele lib. de somno & vigilia; sive visum, quod in somno appareret. Et ut ex Richelet. habet Pontas verb. Somnium in princip. Somnium est motus vis imaginandi, quæ dormientis in sensibus exprimit formam rei effectæ conformem.

Somnia ex Macrobio lib. 1. de somn. Scipion. quæ 2 sequitur Saliber l. 2. dividuntur in quinque genera, scilicet in insomnium, spiritum, somnium, orium, & oraculum; sed Artemidorus lib. 1. cap. 2. ea quinque ad duo revocavit, insomnium nempe, & somnium; sub insomnio spectrum, sub somnio comprehendit visum & oraculum, quoniam hæc illud consequuntur. Sic refert Delrius disquis. magic. tom. 2. lib. 4. cap. 3. q. 6. verb. Macrobius.

Auctor libri de spiritu, & anima (sive is sit Hugo Victorinus, sive alius) cap. 25. operis quinque somniorum genera enarrat, videlicet oraculum, visionem, somnium, insomnium phantasma, Oraculum, inquit, est cum in somniis aliqua sancta, gravisque persona, vel etiam Deus eventum aliquid aperte, vel non eventurum, faciendum, vel evitandum nuntiat. Visum est, cum id, quod viderat quis eodem modo, quo apparuerat, evenit. Somnium est quid figuris tectum, quodque sine interpretatione intelligi non potest. Insomnium est, cum id, quod fatigaverat vigilantem, ingerit se dormienti, ut cibi cura, vel studium, Phantasma est, quando quis dormire cepit, & adhuc se vigilare existimat, aspiciereque videtur irruentes in se, vel passim vagantes formas, aut lætas, aut turbulentes. Sic habet Beyerlinch theatr. vitæ humane, verb. Somnium fol. 134. lit. H.

Sanctus Gregorius lib. 8. moralium cap. 13. & lib. 4. dial. cap. 48. sex genera somniorum ex totidem causis oria commemorat; aut enim, inquit, ex plenitudine, vel inanitate corporis, somnia existunt, aut ex antecedentibus diurnis curis, aut ex illusionibus demonis, aut ex cogitatione hominis simul, & illusionibus demonis, aut ex revelatione Dei, sicque rectissime, ut obser-

vat Delrius *loc. cit. concl. 2.* somnia tribus Auctoribus adscribit, Deo, naturæ, & demoni. Unde posteriores Theologi ea diviserunt in divina, & demoniaca, & naturalia, quam divisionem variis aliis relictis & nos amplectimur.

6 Somnia igitur divina, seu celestia sunt illa, quæ à Deo inspirantur, sive id faciat immediate per se, sive per ministerium Angelorum, ut plerumque accidit; Unde Sanctus Thomas 2. 2. q. 95. art. 6. in corpore sic ait: *Spiritualis autem causa est quandoque quidem à Deo, qui ministerio Angelorum aliqua hominibus revelat in somniis.*

7 Divinorum, seu celestium somniorum varii fines reperuntur in Sacra Scriptura, I. Ut quis à malo absterreat, sicut factum Abimelech *Genes. 20.* & Regi Gerare, & Libano *Genes. 31.* Et id insinuat Job c. 4. n. 13. & 14. ibi: *In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines, pavor tenuit me, & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt, & cap. 8. n. 14. ibi: Terrellis me per somnia, & per visiones horrore concussit.* Ut adhortetur ad aliquod bonum, ut *Gedeonem Judic. & 7.* Judam, ejusque exercitum 2. *Machabæorum 15.* Ill. Ut moneat, vel doceat quid agendum, aut fugiendum, ut B. Joseph *Matthæi 1. & 2.* & tres Magos *Matthæi 2.* Et hunc finem indicat Job cap. 33. num. 15. & seq. ibi: *Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperuit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina. Ec. IV.* Ut spiritum propheticæ, aut aliud spirituale donum simul largiatur, ut *Jolis cap. 2. num. 28.* ibi: *Effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filie vestrae; Senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt.* Et patet de dono sapientiæ, & prudentiæ in somniis dato Salomoni 3. *Reg. 5.* Et de promissionibus obtentura dignitatis Joseph *Genes. 37.* & Machabæo *Ether 11. V.* Ut revelet aliquod mysterium, ut *Genes. 28.* aut alicujus Reipublicæ, vel Regni, seu Imperii vicissitudinem, ut *Israelis Genes. 41.* *Egypti, & Nabuchodonosor Daniel. 2. & 4.*

8 Ad hæc capita reduci possunt multa somnia divina, quorum in historiis Sanctorum fit mentio, ut illa Africana apud Victorem Uticem. de persecut. Vandalic. oblata Eusebio Episcopo Carthaginensi. Item somnium oblatum Monacho Cluniacensi B. Virginis, tempore S. Odonis apud Joann. Monachum *lib. 3. vitæ Odonis cap. 9.* Item aliud Bette matri S. Suitberti apud B. Marcellinum *cap. 1. Vita S. Suitberti.* Item aliud S. Abramio Confessori, *Metaphrast. in ejus Vita.* Item aliud Henrico Imperatori, *Rupert. in vita S. Hereberti c. 7. num. 26.* Item aliud S. Hugoni Gratianopolitano apud Guidonem in *ejus vita.* Item aliud Theodosio Imperatori, aliud Mauricio Imper. aliud Arnobio Rethori, aliud Barde, aliud Eulogio apud Delrium *disquis. Magicar. tom. 3. cap. 3. q. 6. concl. 4.* & multa alia apud Fulgiosium *lib. 1. exempl. cap. 1.* & apud Beyerlinck *loc. cit. fol. 285. §. Somnia divina, & alia innumera apud alios.*

9 Dæmoniaca somnia sunt illa, quæ mali spiritus studio dormientibus immittunt, vel ad perturbationes animi cientias, ut libidinem, iram, odium, desperationem, vel ad occultorum, aut futurorum significationem. Sic expresse Delrius *l. c. post conclus. 4. vers.* Diabolica somnia: & colligitur ex S. Gregor. *l. 8. Moral. in c. 7. Job cap. 13. S. August. epist. 9. alias 115. S. Thom. 2. 2. q. 95. art. 6. in corpore, & Blesensis epist. 65. & alii passim.*

10 His dæmoniis somniis totum intentum malignorum, & fraudulentorum illorum spirituum, est homines ad peccata deducere, eosque præsertim incautos, ac ignaros vanis superstitionibus imbueri, si eos aliorum somniorum eventu ad habendam ipsis fidem reduxerint, sicut eos deceptos ad enormia, nefanda, ac sacrilega crimina pertrahere, ut communis Doctorum, ac quotidiana experientia etiam nimium docet.

11 Naturalia somnia sunt illa, quæ communiter ortum ducunt ab affectione, & dispositione animæ, & corporis somniantis, Beyerlinck, & Pontas *loc. cit. & alii*

passim. Et hæc somnia naturalia proficiscuntur, vel à causa intrinseca somniantis, vel à causa illi extrinseca. Intrinseca nascuntur quædam potissimum ab anima, & tunc dicitur causa animalis, & quædam potissimum à corpore, & vocatur causa corporalis.

Intrinseca causa animalis est, quando somnia obveniunt de rebus, quibus cogitatio vigilantis valde fuit intenta, & per diem ipse somnians circa illas multum occupatus fuit, juxta illud *Ecclesiastes cap. 6. n. 2. ibi: Multas curas sequuntur somnia.* Unde Lucretius *Poem. apud Beyerlinck l. c. fol. 286. §. Animal. sic habet.*

In somniis eadem plerosque videmus obire. Cautidicos causas agere, & componere leges Induperatores pugnare, & prælia obire: Nautas contractum cum ventis degere bellum; Et quo quisque fere studio defunctus adhaeret. Aut quibus in rebus multum simul ante morati.

Et ad hæc pertinent somnia de rebus, & personis, in quas odio, amore, timore, aut spe vehementer afficimur; hinc liberales, & benefici somniant se aliis largiri, mendici petere, cantores canere, philosophi disputare, avari pecuniam congerere, vindicativi de inimicis ulcisci, & alii alia similia. Unde Aristoteles 1. *Ethi-car. cap. 12.* dicit bonorum hominum somnia meliora esse, quàm aliorum, propterea quod consilia, quæ ad virtutum officia exercenda sollicitè agitant, eadem eis in somno occurrunt.

Intrinseca causa corporalis nascitur à præsentis dispositione, ac temperamento corporis, quod vel inedia exhaustum, vel crapula repletum, vel humore aliquo nimis prædominante ægreditur, vel alio interiore vitio laborat: Unde ex variis his causis varia nascuntur somnia: Cholericis enim somniant colores flavos, rixas, jurgia, inimicitias, incendia, & hujusmodi. Sanguine redundante rubentia, ignes, ustiones, hortos, convivia, & fera omnia: Melancholicis funera, caliginem, tenebras, solitaria loca, nocturnas oberrationes, terra spectra, tristitiæ conca. Plegmatici mare, aquas, balnea, navigationes, submersiones, tardam, & impeditam à noxiis fugam. Qui viscido humore affectus, obstructæque habent partes cerebri posteriores, illi comprimunt, ac suffocari videntur in somniis, & latini vocant hunc incubum morbum. Qui sicciter, & purisque succis constant, somniant, se volutari inter odoratos, flavosque flores, & è contra qui fetidissimis putridisque sunt repleti humoribus, somniant se versari in cloacis, sepulchris, sordidiss, ac cænis locis.

Extrinseca naturalis causa somniorum est, quando dormientis imaginatio ab agente extrinseco movetur. Hujusmodi autem agens est duplex; Alterum est aer ambiens, alterum impressio, sive influxus corporum celestium, sicut enim corpora celestia suo in materiam corpoream influxu varias formas lapidum, metallorum, plantarumque gignunt; sic influendo in phantasiam, quæ organis corporis est immersa, possunt à celestibus corporibus produci species imaginabiles effectui à corporibus illis celestibus præstanti conformes; ut erudite suo more ratiocinatur Doctissimus Delrius *loc. cit. post conclusionem secundam vers.* Naturalis extrinseca: Unde ut habetur in *Lexico Medico Castello Brunoniano verb. Somnium*, somnia sunt operationes, quæ fiunt inter dormiendum ab astris in homine.

Species imaginabiles in somniis causatæ sunt quandoque in somniante adeo impressæ, ut distincta afferat verba, recte ad interrogata respondeat, aut è lecto surgat aliquid exterius facturus, tute etiam in locis periculosis perambulet, & denuo adhuc dormiens lectum repetat, ut patet de noctambulantibus, seu melius somnambulantibus, cum nedum noctu, sed etiam interdiu id accidat, ut observat *Lexicon Medicum Castello Brunonianum verb. Sonambul*, referens quemdam celebrem olim somno meridiano indulgentem inter dormiendum surrexisse, deambulasse, cum conjuge locutum fuisse, à qua etiam turbatus ad sellam, in qua dormiverat, reductus, paulum adhuc dormivit, evigilans deinde omnino plane fuit ignarus. Hæc ibi; *Nec desunt alia consimilia exempla.*

Pro

18 Pro discernendis somniis, an sint divina, an dæmoniaca, an naturalia? habendus est recursus ad Patrem spirituale, aliasque piæ, & instructæ personæ, ut suis consiliis ea dilucidet, & in subsidium suis orationibus lumen pro eorum vera discretionem, & intelligentia à Deo exquirat. Sic communiter Doctores cum S. Thoma 2. 2. *quest. 95. art. 6. in corpore.* Hac tamen retenta pro cetera regula, quod quando Deus somnium immittit, solet simul hominem lumine interiori certum reddere hoc somnium à se profectum, & cælitus immisum fuisse, ut recte docet Delrius *loc. cit. post conclusionem quintam vers.* Discernere: & relinquat ipsum hominem totum hilarem, humilem, devotum, ac pium. Quando autem demon somnia immittit, talia somnia, aut visiones habentes evadunt tristes, spiritu audaces, elati, & superbi, impuri, ac omni malitiæ proclives, ut advertit Clericus *nelle sue epiche verb. Sogni n. 898.* Tunc vero somnia sunt naturalia, quando mere procedunt à phantasmatibus in memoria motis ab operationibus diebus antecedentibus factis, aut intenta voluntate, & desiderio diebus sequentibus faciendis, aut ab humoribus à stomacho elevatis ad cerebrum, ubi generantur somnia rerum extravaganantium, & ridicularum, ac penitus infructuosarum, ut notat Clericus *loc. citat. num. 899.*

19 In summa concludit doctissimus Delrius *loc. citat. vers.* Discernere: hoc esse observandum, si constet neque ex animalis, neque ex corporali causa somnium fuisse natum, sicut non esse naturale, dubitetur autem adhuc utrum sit à Deo vel à dæmone? turissimum est, si ut à dæmone immisum caveatur, & contemnatur juxta illud *Ecclesiastici cap. 34. num. 6. & 7.* ubi traditur esse contemnenda extrinseca somnia, quæ non constat à Deo fuisse immissa, ibi: *Nisi ab Altissimo fuerit emissa visio, ne dederis in illis cor tuum; multos enim errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis.*

20 Divinorum somniorum observatio licita est, at interpretatio solis convenit illis, quibus à Deo facta est interpretatio revelatio. Delrius *loc. cit. concl. 5.* & alii communiter. Prima pars de se patet, quia somnia divina nobis immittuntur à Deo, ut ea observemus, ac ab ipsis instruamur, moneamur, & corrigamur. Secunda pars habetur ex *Daniel. cap. 2. n. 27. ibi: Mysterium, quod Rex interrogat sapientes, magi, arioli, & aruspices nequeunt indicare Regi, sed est Deus in celo revelans mysteria, que indicavit tibi, & ibid. num. 30. subjungit: Mibi quoque non in sapientia, que est in me plusquam in cunctis viventibus, Sacramentum hoc revelatum est, sed ut interpretatio Regi manifesta foret, & 1. ad Corinth. c. 2. numer. 11. ibi: Quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.*

21 Dæmoniaco somniorum observatio, ut fraudes demonis caveantur, est licita, sed ad occultorum, vel eventuum futurorum scientiam, seu cognitionem habendam, est illicita. Sic expresse Delrius *loc. citat. concl. 4.* & alii passim. Prima pars de se patet, quia hoc est animæ valde salutare, & aliquando necessarium, ut sic demonis fraudulentæ astutiæ eludantur, & peccata, ad quæ per ipsas nos intendit inducere, evitentur. Secunda pars probatur, quia hoc est Dei lege prohibuit *Levit. cap. 19. num. 26. ibi: Non augurabimini, nec observabitis somnia, Deuteronom. cap. 18. num. 10. ibi: Nec inveniatur in te qui observet somnia, & Ecclesiastic. cap. 34. num. 6. & 7. per verba adducta supra n. 19.* Tum quia non potest horum verum interpretatio citra miraculum haberi, nisi ex pacto implicito, vel explicito cum dæmone, quod est omnino illicitum, dicente expresse Apostolo 1. ad Corinth. cap. 10. n. 20. *Nolo autem vos socios fieri demoniorum.*

22 Observatio, & interpretatio somniorum naturalium habentium in suis effectibus connexionem, seu adæquationem cum suis causis, est licita, sive causa sit intrinseca animalis, sive intrinseca corporalis. Sic Delrius *l. c. concl. 3.* & communis aliorum cum S. Thoma 2. 2. q. 95. art. 6. in corpore. Prima pars, quando videlicet causa est intrinseca animalis, clare patet. Si enim

FERRAS. BIBLIOTH. TOM. VIII.

quis sit lascivus somniis, fedisque illusionibus inquirat, potest, animo debet causam talium somniorum inquirere, & cognoscens ipsam provenire ex quo obscuris his lectionibus, libidinosis cogitationibus, aut turpibus colloquiis operam dederit, debet similes lectiones, cogitationes & colloquia cavere, ac vitare, & sic de similibus. Secunda pars, quando scilicet causa est intrinseca corporalis, est etiam de se clara, nam ut docent Aristoteles *lib. de divinatione per somnia cap. 1.* & Hippocrates *lib. de insomniis, & 6. Epid. & S. Thomas cit. q. 95. art. 6. in corpore;* & alii passim, admonent Medici notanda, & expendenda esse ægotantium insomniæ, seu somnia, ad eorum morbos dijudicandos, & curandos. Ex ea namque observatione, satis probabilè de qualitate morbi conjecturam elidunt, & qui humores intus lateant, qui eorum defectus, vel exsuperantia sint, dignoscunt: Si quis enim somniet de occupationibus igneis, signum est cholera prædominantis, si de aeris, sanguinis abundantis; si de aquei, multi phlegmatis; si de terreis, melancholici; & sic de similibus, & ideo potest licite sibi per congruentes medicinas præcavere. Qua de re Galenus *lib. de præsignio ex somniis sumendo refert*, quod cum quidam somniant alterum crus sibi factum lapideum, mox ea corporis parte paralyticus evasit.

Si causa naturalis somniorum sit extrinseca juxta dicta supra num. 16. & talis causa non sit tam à somniantem remota, quin possit ab illa naturaliter affici, & pati, tunc dicta somnia includunt aliquid probabilissimum, adeoque observari, & interpretari licite possunt, ut patet de podagricis, & ernosis, qui possunt affici, & pati à causa futura cras pluvie, sicut de illa aliquid suum somnium interpretari. Secus autem dicendum est, si causa extrinseca sit adeo à somniantem remota, ut non possit ab illa naturaliter affici, & pati. Sic enim, cum non potest quis hic hodie affici, & pati à causis futuræ pluvie post triennium propter temporis distantiam, nec à causis futuræ statim pluvie in Moschovia propter loci intercapedinem, non potest de tali pluvia aliquid suum somnium interpretari, cum causæ hujusmodi nihil pertineant ad ipsius corporis temperamentum, & dispositionem, nihilque possint in ipso agere, seu operari, adeoque somniorum à similibus extrinsecis causis provenientium observatio est penitus incerta, & fallax. Et si aliquando respondeant eventui, id à casu fit, vel ab intelligentia quapiam revelatur, ut recte observat Delrius *l. c. post conclus. 3. vers. Quando naturalis causa est extrinseca.*

Peccat graviter, qui ex somniis, tam precedentibus, aut causis intrinsecis, quàm extrinsecis, divinant futura contingentia, successus, fortuitosque casus, aut quæcumque dependent, seu manant ab humani arbitrii voluntate, sive somniantis, sive alterius. *Communiter.* Et ratio est, quia hæc non dependent à causis naturalibus, aut temperamento corporis, nec ab astris, cum nullam habeant naturalem connexionem cum illis; & omnis similis divinatio est expresse prohibita, tum ex Sacra Scriptura *Levitico. 19. Deuteronom. 18. Isaia 47. Ecclesiastici 34. & ex cap. Illud, cap. Illos, cap. Sed & illud caus. 26. q. 2. c. Igitur eadem caus. 26. q. 3. cap. Non liceat eadem caus. 26. q. 5. & præcipue in const. Sixti V. incip. Cæli, & terræ Creator: & const. Urbani VIII. incip. Inscrutabilis judiciorum.*

Unde est graviter peccaminosa omnis illa divinatio per somnia, qua ex somniis prædicatur, aut creditur aliquid eventurum, quod nullam prorsus habet connexionem cum illis. Eodem enim modo est loquendum de divinatione per somnia, ac de divinatione per astra, quæ est prohibita, etiamsi tales Divinatores id non certo affirmare aserant, & protententur, ut expresse dicit Sixtus V. *cit. const. incip. Cæli, & terræ Creator.*

Hinc caveant illi, qui nedum somniis sibi fortuito obvenientibus firmiter credunt, sed & ipsa cum abusu rerum Sacrarum, eas nocte capiti in lecto supponentes, vel alibi reponentes, ex animo procurant, atque expectant, ut ex iis inde divinent nomina in ludis vulgo Seminariorum dictis sortitura. Proh dolor! quot in istis cri-

Bbb

mi-

mina, quot sacrilegia, quot diabolica sacrilegia!
 27 Non esset tamen culpandus peccati saltem mortalis, qui sine ulla superstitione, & sortilegio, sed ex mera curiositate pergeret ad locum thesauri absconditi sibi in somniis manifestati, ibique terram effoderet, quia videtur id tantum esse actus levitatis, & vanitatis; Sic Henno tom. 1. tractat. in Decalogum disp. 1. quest. 4. art. 5. concl. 4. La Croix lib. 3. part. 1. tract. 1. cap. 1. dub. 2. num. 10. Tamburinus lib. 2. cap. 6. §. 1. n. 22. ubi, ut etiam ex ipso refert La Croix loc. cit. dicit, hominem in somno sepius admonitum, ut certo loco terram effoderet, si que reperiret ollam auro plenam, non peccasse graviter, quamvis deceptus sit, & inveniit ollam plenam nigris carbonibus.
 28 Item non esset condemnandus peccati mortalis, qui dubitans, num thesaurus fuerit sibi manifestatus per defunctum apparentem, an per somnium, terram effodit, ut rei veritatem detegat; nulla tamen fide somniis adhibita. Sic expresse Henno loc. cit. & alii. Nec si esset culpandus, qui nulla adhibita fide, vel habita superstitione terram foderet ad inveniendum thesaurum ibi sibi à demone indicatum, quia non videtur peccaminosum uti scientia à demone accepta, ubi saltem non fuit ab eo explicitè, aut implicite petita, nec ullus intercessit ad eum recursus. Sic expresse Henno l. c. Lessius in Auth. verb. Magia cap. 6. La Croix loc. cit. dub. 3. num. 25. & alii.
 30 Similiter non est mortale observare somnia, quando quis non omnino credit rem in somnio sibi ostensam esse veram, seu futuram, sed tantum propter tale somnium aliquod de se non malum operatur, ut evitet mala sibi in somnio minata. Sic Suarez de Relig. tom. 1. tract. 3. lib. 2. cap. 13. num. 25. La Croix l. c. dub. 2. num. 10. Tamburinus l. c. & alii. Et ratio est, quia licet ibi sit aliqua levitas, vel simplicitas, aut nimia timiditas, tamen non apparet gravis malitia, quia, ut expresse dicit La Croix loc. cit. non tam credit illud esse à Deo, aut ideò esse verum, quam posse aliunde esse verum.

31 Cavendum tamen semper est, ne firma præstetur similibus somniis fides: Imò generaliter loquendo nulla est ipsorum fides; & observatio præstanda, ex Levit. c. 19. Deuteronom. cap. 18. Isaia cap. 47. Ecclesiast. cap. 34. & ex dictis suprâ num. 19. 21. 23. & 24. Unde monet Ecclesiastes cap. 5. num. 6. quod ubi sunt somnia, plurime sunt vanitates, & sermones innumeri, tu vera Deum time, & Ecclesiasticus cap. 34. num. 1. & sequitur quod Somnia extollunt imprudentes, quasi qui apprehendit ad visam mendaciam: & ibidem num. 7. subjungit, quod multos errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis. Quod & revera docet experientia, nam eos, qui curiose ad somnia attenderunt, somniorum interpretatio subsequuta in gravissimas calamitates, & in interitum præcipites egit, ut Agamemnonem Homerum, Cyrum Persarum Regem, Xersem, Onomarcum, Antigonum, & Pompejum, teste Delrio l. c. post conclusionem quintam vers. Discernere in fine. Nec desunt, & utinam deessent, recentiora exempla eorum, qui bona temporalia, corpus, & animam ex nimia superstitione, ac sacrilegia somniorum observantia misere perdididerunt.
 Vide verb. Pontius Pilatus, ubi de somnio ab ejus uxore habito nocte Passionis D. N. J. C.

SOMNUS.

SUMMARIUM.

- 1 Somnus quid sit.
- 2 Somnus quomodo causetur.
- 3 Cibi, qui plurimum vaporem sursum efferunt, somniferi appellantur, & qui pluribus abundant humoribus, procliviores sunt ad somnum.
- 4 Somnus alius diurnus, alius nocturnus.

- 5 Somnus diurnus alius antemeridianus, qui tolerabilis est, nec omnino noxius.
- 6 Et alius meridianus, seu pomeridianus, qui si sine debitis cautionibus capiatur, valetudini non parum nocet.
- 7 Afferuntur mala, quae gignere solet somnus pomeridianus sine debitis cautionibus captus.
- 8 Assignantur cautiones adhibendae in tali somno ad dicta mala evitanda.
- 9 Aptissimum tempus pro somno capiendū est nocturnum.
- 10 Arguuntur noctu vigilantes, & diu dormientes.
- 11 Somnus appellatur filius noctis.
- 12 Suavior, & sanior evadit somnus nocturnus, si cana hominis fuerit sobria.
- 13 Quamvis sanior sit somnus nocturnus, homines tamen noctu dediti studiis, & orationibus etiam diurnum somnum capere consueverunt exemplo ad id Jesu Christi.
- 14 Quoties horis sit somnus capiendus.
- 15 Somnus variis epitetis à Tertulliano laudatur.
- 16 Somnus à Paulo IV. Summo Pontifice vocabatur dominum Dei.
- 17 Afferuntur quidam versiculi de somno.
- 18 Solimanus Turcarum Tyrannus putavit se evitare perjurium occidendo dormientem Ibraimum, quem jurando promiserat non occisurum viventem.

SOMNUS, secundum Aristotelem lib. de somno, & vigilia, est ligamentum omnium sensuum ad animalis quietem, & salutem institutum. Obstruentibus enim vaporibus è ventriculo ascendentibus ad caput sensus communis aditum, iisdemque cerebri membranarum opplentibus, si que quasi ligatis internis, ac externis sensibus, anima & corpus sine ulla operatione quiescunt, donec consumptis dictis vaporibus ipsi interiores, & exteriores sensus soluti, pristinam suam operativam virtutem recuperent, se reassumant. Unde cibi illi, qui plurimum vaporem sursum efferunt somniferi appellantur, & Pblematici, alique abundantioribus repleti vaporibus, seu humoribus, uti & infantes, ad somnum procliviores redduntur. Sic ex Aristotele Beyerlinck Theatr. vitae humanae verb. Somnus §. Somnii causa efficiens:

Somnus quoad tempus ipsum sumendi alius est diurnus, & alius nocturnus. Diurnus rursus duplex est, alius antemeridianus, qui fit jeuno ventriculo, qui tolerabilis est, nec omnino noxius, cum tunc vacuo ventre, & materia exhalationum non suppetente, mala, seu morbi non obrepant. Alter meridianus, seu pomeridianus, qui si sine debitis cautionibus capiatur, valetudini non parum nocet. Unde apud Plautum in Monastell. Non bonus Somnus est de prandio, & Schola Salernit. Si vis vivere sanus, fuge somnum meridianum.

Somnus enim pomeridianus cibos in ventriculo non concoquit, sed corrumpit, ructus acidos, flatusque parit, cerebrum multa crassa, mordacique humiditate, atque fuligine replet, unde gravedines, oscitationes, penduculationes, vertigines, cathartici, capitis dolores, anginae, apoplexia, incubus, epilepsia, paralysis, & alii morbi frigidi, atque mortiferi promanant. Nonnulli tamen certis cautionibus adhibitis mitiora, ac minime periculosa illa sibi efficiunt, primum consuetudine, & longo usu, deinde non protinus à cibo, neque capite demisso dormiendo. Præterea vel somno plenius indulgendo, vel parum longo utendo, postremò non subito, nec raptim, sed paulatim vigiliam revocando.

Sic ad literam Beyerlinck l. c. §. Tempus: Ubi subjungit, quod aptissimum somno tempus est nocturnum, propterea quod ipsum noctis silentium quietem advocat, & circumfusi aeris frigiditate innatus calor facilius sese colligit, & ad interiora revocat, cum somnus, ut Aristot. c. 3. l. de somno, & vig. asserit, antiperistasis quaedam sit naturæ conveniens. Unde Seneca lib. 2. Epist. 123. eos reprehendit, qui, ut quidam in eadem Urbe Antipodas, noctes vigilant, dies dormiunt, quos appellat Sychonobior, id est, lucernarios, atque ejusmodi ho-

homines contrainaturam vivere. Quod factitasse Helio-gabalum Imperatorem testatur Lamprius in ejus vita. Hæc ille.
 11 Unde somnus appellatur filius noctis, & nos Somnidatrix à Poetis, teste Særa in suis Synonymis, & Beyerlinck l. c. §. Tempus: vers. Nec insecite: Et suavior, & sanior evadit nocturnus somnus, si cana hominis fuerit sobria, & parvus homo in eam, & potu, juxta illud Scholæ Salernitanæ: Ut sis nocte levis, sit tibi cana brevis, & habetur expresse ex Ecclesiastico cap. 31. num. 24. ibi: Somnus sanitatis in homine parca, dormiet usque mane, & anima illius cum ipso delectabitur.
 13 Quamvis autem sanior sit somnus nocturnus, homines tamen noctu dediti studiis, & orationibus, etiam diurnum, seu pomeridianum somnum capere consueverunt, uti solent Regulares utriusque sexus hora pomeridiana silentium indicare, & aliquantulum somni, ac quietis capessere, ad id habito exemplo à nostro Salvatore Jesu Christo, qui uti solitus noctu orare, quadam die naviculam suorum discipulorum ingressus ibi suavissimum somnum capiebat, à quo suscitatus ipsos à maritima procella salvavit, Mat. cap. 8. num. 24. & 25. ibi: Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipse verò dormiebat: & accesserunt ad eum discipuli ejus, & suscitaverunt eum dicentes: salva nos, perimus?
 14 Quoties autem horis sit somnus capiendus? Varii variant juxta variorum varias corporis dispositiones, & animi applicationes: Medici ad horas 6. 7. aut 8. constituunt, tale enim temporis intervallum sufficit concoctioni, & viribus nature reparandis. Clerici in suis speciebus verb. Somno num. 908. refert à suo satis docto, & erudito grammaticæ Magistro sic didicisse: Un bon Scolaire non deve dormire più di cinque ore, Un buon Predicatore non più di ore 6. Un buon Padre di Famiglia ore 7. Un gran poltrone ore 8. Ursaya in 2. miscell. Sacro, & profano lit. 8. num. 51. sic habet: Quattro, ò cinque all' Viandante, Altrettante al Mercante, Cinque, ò sei allo Studente, sette ò otto ad altra gente. Tutte sonno al Vecchio buone, Nove ò dieci al Dormiglionne, ochi più, è un gran poltrone.

15 Somnus ex Tertulliano cap. 43. de Anim. est recreator corporum, reintegrator virium, probator valetudinum, peccator operum, medicus laborum, cui legitime fruendo dies cedit, nox legem fecit, auferens rerum etiam colorem. Ex quo forsam motus fel. rec. Paulus IV. dicere solebat, posse ut libet somnium capere non in hominis situ facultate, sed esse Dei donum. Indeque cum nocte aliqua obdormire non poterat, surgebat quidem è lecto, sed neminem excitabat, neque omnino alicui molestiam affererat, ne somno, quem Dei donum appellabat, quempiam privaret, ut per hæc præcisæ verba id advertit Ciac. in ejus vita §. Vita puritas: & Ursaya Inst. Crim. lib. 2. tit. 15. num. 195.
 17 Et idem Ursaya in 2. miscell. Sacro, & pro lit. S. num. 195. & seq. de somno, sic habet:
 Si somnus nihil est nisi mors, nil mors nisi somnus, Quo plus in vita dormio, vivo minus.
 Stulte, quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago? Longa quiescentia tempora fata dabunt.
 Unde Solimanus Turcarum Tyrannus, qui juraverat do promiserat numquam velle occidere Ibraimum ejus primarium Ministrum viventem, die 15. Martii 1535. fecit illum occidere, quando dormiebat, asserens hoc modo juramentum non fregisse: Sic ex aliis refert ipse Ursaya in 2. Miscell. Sacro, & profano lit. 8. num. 50.

SORS.

SUMMARIUM.

- 1 Sors in genere varie accipitur.
- 2 Sors specialiori, & usitatori modo sumpta quid sit.

- 3 Hæc sors dividitur in divinariam, consultoriam, & divinatoriam.
- 4 Sors divinaria quid sit.
- 5 Sors consultoria quid sit.
- 6 Sors divinatoria quid sit.
- 7 Sortes divinatoria sunt omni jure illicitæ.
- 8 Sic est illicita versio cribri ad divinandum fure, homicidas, sagas, &c.
- 9 Sortes consultoria possunt esse circumstantiis esse licitæ, vel illicitæ, & assignatur quando tales sint.
- 10 Sanctus Augustinus, & Sanctus Pater meus Franciscus, alique Sancti sanctissime his sortibus consultoribus usi sunt.
- 11 Apud meam, variatque alias Religiones adest pius usus sortiendi singulis annis, & mensibus Sanctum Tutelarem.
- 12 Illicitæ sunt sortes à Gentilibus vocatæ Homicæ, seu Virgilianæ.
- 13 Item illicitæ sunt sortes à quibusdam Christianis vocatæ sortes Sanctorum.
- 14 Sortes divinatoria extra casum electionis ecclesiastica sunt licitæ, dummodo nihil superstitionis, aut injustitiæ contineant.
- 15 Hæc sortes divinatoria sunt in praxi apud omnes.
- 16 Per nullam sortem fieri possum electiones ecclesiastica.
- 17 Afferitur, & solvitur objectio de exemplo S. Matthiæ.
- 18 Jure merito fuerunt prohibitæ electiones ecclesiastica per sortem.
- 19 Immo neque per sortem lis dirimi potest, etiamsi duobus omnibus meritis, ac qualitatibus æqualibus votis electi ad beneficium ecclesiasticum ambo consentiant in sortem.
- 20 In tali discordia quid agendum.
- 21 Alia licet, & discordiæ in causis beneficalibus extra casum electionis, licet non possint per sortes dirimi propria, ac privata auctoritate partium, possum tamen per sortes dirimi interveniente Judicis auctoritate, ad num. 23.
- 24 Addit. ex aliena manu, ad fin.

SORS interdum sumitur promiscue pro fortuna, vel fato, juxta illud Virgilii lib. 3. Æneid. Hic exitus illum sorte tulit: Aliquando sumitur pro statu, juxta illud Psalm. 30. In manibus tuis sortes meæ. Sæpe sumitur pro prima, & capitali pecunia in societatem, seu contractum collata, juxta illud Terentii in Adelph. Heu mihi etiam de sorte nunc venio in dubium! quo sensus sors etiam accipitur in l. Acceptam 19. Cod. de usuris, c. Conquestus 8. de usuris. Specialiori autem, & usitatori modo sumitur pro eo, quod præcisio hoc finit agitur, ut ejus eventu spectato aliquid occultum, vel dubium innotescat, v.g. quid cuique debeat competere seu sors est inquisitio fortunæ, aut Divinæ Providentiæ de aliquo contingenti, humanoque eventu, vel signum datum, per quod distinguantur res confusæ ad invicem.

Porro hæc sors est triplicis generis, nempe divinaria, consultoria, & divinatoria, ut tradunt communiter Doctores cum S. Thoma 2. 2. q. 95. art. 8. Sors divinatoria est superstitionis inquisitio rerum occultarum, vel futurarum, quæ naturaliter sciri non possunt. Sors consultoria est inquisitio divini consilii circa res agendas, vel capiendas. Sors divinatoria est investigatio ex consensu partium, cui in dubio res aliqua tribuenda sit.
 Sortes divinatoria sunt illicitæ, & damnatæ à jure divino, canonico, & civili, Jure divino vetitæ, & damnatæ sunt Exodi cap. 22. Levitici cap. 19. & 20. Num. cap. 23. Deuteronom. cap. 18. & 1. Regum c. 123. Jure canonico prohibetæ sunt in c. Si de arca 10. cap. Licet 11. caus. 26. q. 2. cap. In tabulis 1. cap. Ex tunc 2. de sortilegiis, & caus. 26. q. 5. per totum. Jure civili interdicitæ sunt in l. Artem 2. l. Nullus 3. l. Eorum 4. leg. Nemo 5. leg. Multi 5. leg. Et si 7. leg. Culpa 8. & leg. Quicumque 9. Cod. de Maleficiis, & Mathemat. Et quidem jure merito sunt sortibus divinatoriæ damnatæ, utpote involventes tacitam, vel expressam demonis invocationem, quandoquidem nec ex